



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Tertiæ Partis Volumen Secundum

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

Vtru[m] per baptismum liberetur homo ab o[mn]i pœna? 2

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38725**

tatis, qui est in pœnitente, non sufficeret ad remissionem culpæ, nisi adesset fides passionis Christi, & propositum participandi ipsam, vel suscipiendo baptismum, vel subijciendo se clauibus Ecclesiæ. Et ideo quando aliquis adultus pœnitens ad baptismum accedit, consequitur quidem remissionem omnium peccatorum ex proposito baptismi, perfectius autem ex reali susceptione baptismi.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa procedit de particularibus medicinis. Baptismus autem operatur in virtute passionis Christi, quæ est vniuersalis medicina omnium peccatorum. Et ideo per baptismum omnia peccata tolluntur.

ARTIC. II.

*Utrum per baptismum liberetur homo ab omni reatu peccati?*

**A**D secundum sic proceditur. Videtur, quod per baptismum non liberetur homo ab omni reatu peccati. Dicit enim Apostolus Roma. 13. Quæ à Deo sunt, ordinata sunt. Sed culpa non ordinatur, nisi per pœnam, vt Aug. dicit\*. Ergo per baptismum non tollitur reatus pœnæ præcedentium peccatorum.

¶ 2 Præterea, Effectus sacramenti aliquam similitudinem habet cum ipso sacramento: quia sacramenta nouæ legis efficiunt quod figurant, vt supra dictum est. Sed ablutio baptismalis habet quidem aliquam similitudinem cum ablutione maculæ: nullam autem similitudinem habere videtur cum subtractione reatus pœnæ. Non ergo per baptismum tollitur reatus pœnæ.

¶ 3 Præterea, Sublato reatu pœnæ, aliquis non remanet dignus pœna: & ita iniustum esset eum puniri. Si igitur per baptismum tollitur reatus pœnæ, iniustum esset post baptismum suspendere latronem, qui antea homicidium commisit: & ita per baptismum tolleretur rigor humanæ disciplinæ, quod est inconueniens. Non ergo per baptismum tollitur reatus pœnæ.

Tertia Par. Vol. ij.

M

SED

397  
 Su q. 68.  
 a. 5. q. 3.  
 d. 19. ar.  
 3. q. 2. q.  
 3. q. 2. q.  
 4. di. 4. q.  
 2. ar. 1. q.  
 2. q. a. 3.  
 q. 1. q. d.  
 7. q. 1. ar.  
 1. q. 1. q.  
 4. cont. c.  
 38. 59. q.  
 72. co. 2.  
 q. Ro 11.  
 le. 4. col. 4.  
 q. 5. q.  
 He. 6. co.  
 2. fin.  
 2. li. 1. re-  
 trac. c. 9.  
 q. 1. 3. de  
 li. arb. c.  
 18. to. 1.  
 † q. 62.  
 ar. 3.

*Super illud ad Rom. 11. Sine pœnitentia sunt dona Dei, & vocatio. Ro. 11. t. 5* SED contra est, quod Ambrosius dicit \* super illud condonat.

*\* a. prae. q. 68. a. 5. ad 1. q. 68. a. 5.* RESPONDEO dicendum, quod ( sicut supra dictum est \* ) per baptismum aliquis incorporatur passioni, & morti Christi, secundum illud Rom. 6. Si mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam vivemus cum eo. Ex quo patet, quod omni baptizato communicatur passio Christi ad remedium, ac si ipse passus & mortuus esset. Passio autem Christi (sicut dictum est \*) est sufficiens satisfactio pro omnibus peccatis omnium hominum. Et ideo ille qui baptizatur, liberatur à reatu totius pœnæ, sibi debite pro peccatis, ac si ipse sufficienter satisfacisset pro omnibus peccatis suis.

Ad primum ergo dicendum, quod quia pœna passionis Christi communicatur baptizato, in quantum fit membrum Christi, ac si ipse pœnam illam sustinisset: ideo eius peccata remanent ordinata per pœnam passionis Christi.

Ad secundum dicendum, quod aqua non solum abluat, sed etiam refrigerat. Et ita suo refrigerio significat subtractionem reatus pœnæ, sicut sua ablutione significat emundationem à culpa.

Ad tertium dicendum, quod in pœnis quæ iudicio humano inferuntur, non solum attenditur qua pœna sit homo dignus quo ad Deum, sed etiam in quo sit obligatus quo ad homines, qui læsi & scandalizati sunt per peccatum alicuius. Et ideo licet homicida per baptismum liberetur à reatu pœnæ quo ad Deum, remanet tamen obligatus adhuc quo ad homines, quos iustum est edificari de pœna, sicut sunt scandalizati de culpa. Piè tamen talibus princeps posset pœnam indulgere.